



Ellen Key



MORES ERVDITORVM

Illos, qui virtuti et gloriae ſunt mancipati, exceptos et praecipuos habui: eorum vero, qui alio inepte abeunt, neminem ſingillatim offendo: vitium ipſum carpo et inſector. Quis hoc mihi culpae vertat?

Aur. Ianuarii reſp. ICtorum. p. 38.



CIϽ IϽ CCLX


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRO DOCTISSIMO

G. F. L.

S. D.

Quae nos clanculum saepe risimus, VIR DOCTISSIME mihique Charissime, ea aliis quoque deridenda propinare volui: siue, quoniam non plane indigna sunt, quae a compluribus legantur, siue, quia omnia, ab eleganti Tuo ingenio profecta, mihi non possunt non iucunda et luce publica digna videri. Equidem fauorem et plausum indoctae plebeculae neque spero, neque sperare possum; (tum enim aliae artes fuissent discendae, versiculi teutonici scribendi, carmina Anacreontica componenda,) hanc tamen scriptiunculam si non plane Tibi displicere intelligam, sicut dulcissima Tua natura et

 illa

illa amoris erga me Tui frequens significatio ſpem affert certiſſimam, numquam me mei poenitebit. Noſti me, o Chariſſime, noſti animum meum, nec Tibi igitur, quantum a libidine viros bonos et doctos perſtringendi abhorream, erit ignotum, nullaque alia de cauſſa haec a me ſcripta eſſe Tibi perſuadebis, quam vt, quicquid ex ſciolorum et ſemidoctorum hominum imperitia et impudentia collegi ſtomachi, libere effundam. Ceterum, quae a deditiſſimo Tibi animo expectari poſſunt, officia et debebo Tibi, et praeſtabo, quoad viuam, lubenter meritoque. Vale.

EPI-

EPISTOLA PATRIS AD FILIVM

IN ACADEMIA COMMORANTEM.

Quanto me dolore affecerint literae tuae, fili, in quibus certiorem me de tuorum ſtudiorum ratione feciſti, neque ego oratione exprimere poſſum, neque tu coniectura facile adſequeris. Quid enim dicam? tene graecas et latinas literas diſcere? me viuo te poëtarum et oratorum libros legere? o mi fili, per amorem meum, qui ſingularis ſemper et eximius in te fuit! dic, quaeſo, quis te malus error ad Ciceronem et Platonem legendum impulerit? Nonne hi ſceleſtiſſimam egerunt vitam? Nonne a vera Dei cognitione alieni? Nonne apud inferos ſuorum ſcelerum poenas luunt? Abſtine, fili, abſtine ab horum lectione. Ego vix nomina horum hominum noui, cum tam opulentum, tam amplum ſacerdotium capeſſerem, tota vt in regione noſtra nullus alius tot anſeres, boues et vaccas alat, nullus tot iugera

agri poſſideat. Quid porro eſt, quod te Vulgatam legere ſcribis? O quantum tibi iraſcor! Romanus papa vulgata vtatur, nos ὀρθοδοξότατοι illam cane peius et angue fugiamus. Abiice librum, ſi me amas, ſi a me amari cupis. De Symmachi et Aquilae interpretationibus, quas tibi magno vſui eſſe ſcribis, quid dicam, neſcio. Numquam enim horum nomina ne fando quidem audiui. Eſt non procul a noſtro pago Aquila quidam, qui an biblia interpretatus ſit, neſcio. Sed velim, praeter vnam Lutheri verſionem nihil in bibliorum vero ſenſu eruendo in conſilium adhibeas. Ingrati eſt animi, cuius ſe crimine noſtra aetate plurimi naſuti obſtringunt, iis vti nolle, quae Dei clementia nobis conceſſit, auxiliis. Antea erat fortaſſe graecarum et ebraicarum literarum ſcientia non inutilis: nunc vero ſunt Lutherana verſione omnia ita explicata, illuſtrata atque expoſita, nihil

vt

vt praeterea opus ſit addere. O! ſi tu meis conſiliis, quae tibi diſcedenti dedi, obtemperares! Nonne tibi dogmaticam et homileticam Theologiam audiendam ſedulo et toto pectore imbibendam eſſe monui? nonne vt ſingulis menſibus bis terue e ſuggeſtu verba faceres, praecepi? Nonne vt ſacra carmina et ediſceres et iis, tanquam ſtellis, orationem tuam diſtingueres, auctor fui ſuaſorque? Quam bene tu, antequam in Academiam abiiſti, ad populum dixeris, non ſine ſummo voluptatis ſenſu recordor. Numquam ruſtici mei, quam ſcite latinas ſententiolas immiſcueris orationibus tuis, obliuiſcentur, teque laudare deſinent. Perge igitur ea, quam iniiſti, via ad metam contendere. Noſti praeterea, te iam duo annos in Academia commoratum eſſe, atque adeo tempus tui reditus inſtare. Monuit me per hoſce dies de hac re dominus pagi noſtri, ſeque tibi ancillam

 ſuam

ſuam in matrimonium eſſe daturum ita promiſit, vt tibi vna certam ſpem in munere mihi ſuccedendi faceret. Quare velim omnibus rebus poſthabitis oeconomicum collegium audias, neque in re, magnae tibi vtilitati futura, vllo modo negligens ſis. Adiunxi hiſce literis duo egregios libros, *den allezeit fertigen Prediger* et *Diſpoſitiones auf alle Sontags-Evangélia*, quibus ſi recte vtaris, numquam te eorum poenitebit. Hi digni tuo ſtudio, hi tibi panem, munus et vxorem pollicentur, non graecae tuae et latinae literae, quibuscum algebis et eſuries. Ac ne me ſolum ita ſentire credas, mitto vna literas compatris tui, cui maxima eius cum admiratione totam rem expoſui. Cuius conſilio, (noſti viri integritatem et eruditionem) ita velim obtemperes, vt, ſi aliter facias, me tecum numquam in gratiam eſſe rediturum, tibi perſuadeas certiſſime. Vale.

EPISTOLA FRATRIS

AD FRATREM.

DOMINO SVO FRATRI PLVRIFARIAM DILECTO

CORDIALEM SALVTEM.

Quod Veſtro filio illapſum ſit, poſſum ego non inſpicere. Fui totus extra me, cum ſuam epiſtolam legi, et capilli mihi ſteterunt ad montem. Non ſumite mihi pro malo, Veſter filius eſt naſutulus, et non vult Vobis paternum Reſpectum dare. Hoc non eſt bonum, et non erat alias ſic. Quando meus filius mihi ſic facere vellet, daturus eſſem illi non

paruas

paruas Reprimandas. Sed iuuentus ſe non vult ſinere corrigere. Quid ille vult, ob coeli voluntatem! cum graeca lingua facere? ille poteſt immo non vnum canem cum omni ſua ſcientia ex fornace elicere. Eſt haec lingua diabolice grauis, et non ego potui comprehendere, quamuis, vt Vos ſcitis, bonum caput habui. Poteſt non Lutheri verſionem in manus ſumere et naſum in illam porrigere? Ego etiam fui in vna alta ſchola, aut Vniuerſitate, et habui fideles praeceptores, qui mihi bene dixerunt, quod talem ſapientiam ad pacem ſinerem. Plato ſedet in gehenna, et omnes ethnici habent nihil melius. Cuſtodiat me coelum pro talibus libris. Eſtote tam bonus, Domine frater, et dicite Veſtro

filio in meo nomine vnam pulchram ſalutem, et ego ſino illum petere, vt adſpiciat, ne ſeducatur a noua parturientibus. Ille debet bene ſaepe concionari. Ille oportet etiam audire Polemicam, vt diabolicos haereticos poſſit de ſuggeſtu iacere. Nam in noſtris diebus, poſtquam philoſophia ad aſſerem venit, hi ſe faciunt valde inutiliter. Philoſophi et Iuriſtae ſunt liberi ſpiritus, et periculoſi homines. Nam non credunt ſpectra, et qui non credit ſpectra, ille eſt Atheiſta. Enim heri mea ancilla vidit vnum tripodem leporem apud vaccarum ſtabulum. Valete cum vxorilla Veſtra. Seges apud me bene ſtat, et futura eſt profitabilis meſſis. Ego vendidi multum triticum, et fui ipſe in nundina

dina

dina cum noſtro templi-ſtulto, qui ſibi fecerat bene, et vix poterat inuenire viam poſt domum. Totam enim vrbem poteſt ſub menſam potare. Habet multum cor, et nuper totum pagum perfuſtavit. Nam ad multum zechauerat. Valete adhuc ſemel.

EPISTOLA POETAE AD AMICVM.

Nescio, hercle! quomodo accidat, vt, quoties, cum quae prospera, tum quae aduersa mihi eueniant, cum familiaribus communicare possim, quasi onere quodam leuatus recreatusque mihi videar. Nam, et, quam primum versus aliquot composui, eos recitare maximopere cupio, et nunc quoque, o Charissime, ad te confugio, in te conquiescere, in tua suauitate curas doloresque deponere gestio. Agam tecum, vt officia nostra mutua summaque amicitia postulat, vt studiis nostris dignum est, perfamiliariter, et tale tibi amoris mei testimonium impertiar, quo maius exspectare ab amico, eoque poëta, non potes. Felicem me semper ter et amplius praedicasti, qui omnibus gaudiis affluens,

omnibusque deliciis quasi immersus et obrutus omnium optime lautissimeque viuerem, nihilque optasti magis, quam vt simili modo vitam ageres. Neque hoc mihi mirum. Nam si ex carminibus meis aliquis coniecturam faciat, rege Persarum me feliciorem esse Iouem lapidem iuraret. Quid enim in illis nisi Phyllidis amores? nisi blandi virginum susurri? quid nisi munera laeta Bacchi? amoenitates ruris? laudes vitae priuatae? contemtus regiae maiestatis et purpurae? Sed, caue, tu rem ita se habere credas. *Veri nihil, omnia falsa.* Primum quidem nescio, qua fati iracundia accidat, vt nulla in re mihi peius cesserit, quam si in amatorio negotio aliquid molitus sim. Quot, eheu! non carmina, quot non versus ad illam, quae me surripuerat mihi, scripsi! Modo per audaces verba dithyrambos deuolui, in altos nubium tractus tendi, et, quid enim dissimu-

mulem? Miltoni et Iungii carmina bene compilaui; modo per humum repere mihi visum eſt. Centies illam ſolem, lunam, Dianam, Venerem, et quid non? appellaui. Centies oculos ſtellis, os roſae, genas liliis comparaui. Quibus artibus an me aliquid effeciſſe putas? Immo vero vehementer irriſus ſum. Quare aliam viam iniui. Crudelem illam vocaui, homicidam, leonibus truculentiorem, me moriturum eſſe dixi, me laqueo et enſe mihi vitam erepturum, minatus ſum. Omnia fruſtra. Miſero modo illa mihi illuſit. Me bicipitem in tergo Parnaſſum geſtare, capite vacillare, crura tanquam falces curuata, turgida labra et aures longas habere, quae ſic moueantur, vt ſolent aſellorum. Conſtitui igitur, nihil eiusmodi poſthac tentare, ſed mordaci iambo illatas iniurias vlciſci, animumque vindictae cupidum ſic ſatis explere. Vna eſt vetula quaedam

Forta comam labroque tumens et fusca colore
Pectore lata, iacens mammis, compressior aluo,
Cruribus exiguis, spatiosa prodigo planta,

cui meam rem familiarem commisi. Illa me quotidie vesperi inuisit, ex aduerso considet, tantaque cum admiratione me versus recitantem audit, vt plerumque dulci somno sopiatur. Atque ego quidem non minoris artis atque ingenii esse puto sopire carminibus homines, vetulas praesertim, quam bestias mollire, fluuios morari, et auritas quercus ducere. Tu vero vix credere potes, quanta cum animi laetitia quantaque superbia elatus, si, quae per diem scripsi, cuiquam recitare potuerim, me quieti dare soleam. Haec igitur de amoribus meis habeto. Audi reliqua

liqua. Domicilium mihi eſt anguſtum, obſcurum, in ſuprema parte aedium. Vnde non ſolum hoc incommode mihi accidit, vt quaſi in caelum aut turrim mihi ſit adſcendendum, (ego vero, quoties aſcendo, me ad ardua Parnaſſi culmina tendere, credo) ſed fumus quoque ex propinquo fumario me non parum excruciat. Hic nullos, vt tu fortaſſe putas, flores, nullos argenteos riuos, nulla gemmantia prata, nec te, quae *carminibus viues tempus in omne meis*, dulcis Philomela, video. Nulla hic auis, praeter garrulos paſſeres et raucum bubonem, quem vel venturi luctus vel dirae mortis nuntium eſſe (quod dii non tam mea, quam literarum cauſſa prohibeant!) ex vetula mea ſaepius audiui. Hinc ferme numquam excedo, niſi concionatoribus paganis, qui inter maecenates meos iure ſuo primum locum occupant, infantulum gratulaturus. Quod tamen

non raro vſu venit. Nam quot apud illos libros, tot prope pueros puellaſque video. Tunc vero genium meum minime defraudare ſoleo, ſed tam large me plerumque inuito, vt neque pes neque caput officium ſuum faciant. Alias aquam bibere cogit res anguſta domi, quam tanta copia haurio, vt nuper febrim mihi accerſerem. Habes, o dulciſſime, vitam meam, tanquam in tabula expreſſam. Vtinam quidem mea in ſcribendis verſibus facilitas et celeritas, qua me neque, ſi ab inferis redeat, Homerus vincet, tantae ſit mihi vtilitati, quantae illam gloriae fore video. Intelliges vero, quantae ſint mihi moleſtiae deuorandae, quantis et animi et corporis laboribus fatiger, quantum mihi cum ſiti et fame confliĉtandum. Quas ego miſerias non tantum ad animum reuoco, quantum tu fortaſſe arbitraris. Alia ſunt, o anime mi, quae me miſere excruciant,

quae

quae omnem prope ingenii vim extinguunt, quae me dies noctesque excruciant. Quid enim quaeris? frigent hac aetate diuina poëtices ſtudia, actum eſt, periimus vates, nobis exequias ire iam tempus. Eſt enim perpetua haec malignaque fati lex, vt, quae ad ſummum peruenerunt, citius opinione ad infimum rurſus relabantur. Nihil dicam de iis, qui antiquitati nimium pretium ſtatuentes, et nihil, niſi quod redoleat Romanorum Graecorumque, horribilium, me hercle! et obſcuriſſimorum librorum, lectionem, laudantes, me, tanquam rerum omninm imperitum, vix limina aedium intrare patiuntur. Iidem illi mercatores, quos decies Apollines, Maecenates, Mercurios appellaui, quibus immortalitatem nominis nec vnquam interituram famam praedixi, quorum cru-

ditionem et humanitatem praedicaui, etſi barbari erant et ſtolidorum duces, quos tanquam terrarum dominos colui, neque me, neque carmina mea amplius curant. „Quid hic mendicus? ſemperne fores obſi- „det? Res ſuas ſibi habeat. Bello exhauſti ſumus. abeat. Tum qua me iracundia efferri, quantum ſtomachari putas? Vellem faciem meam videres. *Ardent minaces igne truculento genae, oculique vix ſe ſedibus retinent ſuis.* Neque tamen aliud ſolatium inuenio, quam vt, quicquid ſplendida bilis ſuggerat, euomam, et ſatyras conſcribam. Quod quam miſerum ſit aridae gulae et latranti ſtomacho ſolatium, tu non ignorabis, qui olim ipſe carmina confeciſti. Sed de his ſatis. Vereor enim, ne tibi his querelis moleſtiam aliquam afferam. Sic tamen habeto, me haec ſcribentem

largam

largam lacrumarum vim profudiſſe, non ſto-machi mei cauſſa, etſi hic magno cum mur-mure ſuum flagitabat, ſed communis vti-litatis cauſſa. Caeterum nihil magis ex-peto, quam vt quam proxime ad te aduo-lare, et in ſinum tuum omnia mea effun-dere poſſim. O qui tum complexus! quae confabulatio! quae recitationes! Compo-ſui enim per hoſce dies praeter Anacreon-ticos verſus, in quibus me inprimis feli-cem eſſe noſti, qui vna horula ſaepe du-centos non multo ſudore chartis illinam, duo carmina non ignobilis argumenti: quorum in altero Phyllidem meam Di-anam, me Actaeonem, et deinde in lepo-rem (nam verbum cerui, quod, vt noſti, ponendum erat, metri ratio non admiſit, neque ego ſynonymum in *Gradu ad Par-naſſum* inueni) in leporem igitur muta-

tum

tum esse, facetissime finxi; in altero de systemate Copernicano exposui, et mercatori opulento nouas nuptias gratulatus sum: Ambo, quod caput est, bene longa sunt. Quare, ne tibi diutius hanc voluptatem inuideam, quam primum fieri poterit, in tuos complexus veniam.

Interim vale.

EPISTOLA

DE

ITINERE IN VTOPIAM.

Nihil opus eſt, Chariſſime, plura de Vtopiae incolis incolarumque moribus ad te ſcribere, de quibus in proximis literis ea omnia dixi, quae digna et iucunda cognitu eſſe putaui. Venio nunc ad ea, quae te inprimis ſcire velle arbitror, vt, quae ſit in hac regione literarum facies, qui doctorum hominum mores, exponam. Quae igitur mihi a ſapientiſſimis Vtopiae ciuibus commemorata ſunt, accipe. Eſt nuper admodum ibi a principe Academia inſtituta, in loco antea obſcuro et ignobili. Huc toto ex orbe magnis praemiis docti viri conuocati ſunt, quorum animos, incredibile eſt, quanta ſuperbia inuaſerit. Hanc Academiam literarum domicilium, eruditionis emporium, omnis elegantiae ſedem, auguſtiſſimum totius orbis muſeum eſſe,

non tam alii credunt, quam ipſi dicunt. Si quis aliter eſſe putat, (audiui vero, eſſe non paucos, qui aliter putent,) parum abeſt, quin ipſe ſe ne hominem quidem eſſe fateatur. Quod in aliis terris ſcribitur, dicitur, iudicatur, contemnunt, perſtringunt, certe apud ſe his omnia meliora prouenire clamitant. Inde fit, vt bonis et doctis viris ſaepe conuitia faciant, et laudanda reticentes, quae vituperari poſſint, magna cum ambitione proferant. Neque tamen hoc omnium audiui eſſe vitium, ſed duorum praeſertim, qui ſibi ſoli ſapere videantur. Alterum, aiunt, tanquam Palaemonem aliquem, quicum natae literae, quicum moriturae, in linguarum ſcientia et grammaticae cognitione regnare velle, vt quicumque idem conentur, illis bellum indicat; alterum in interpretatione librorum, quibus religio incolarum contineatur, aemulum ferre non poſſe.

Ambo,

Ambo, alias non aptissimos ad iocandum, satyricos videri et facetos esse velle; ambo grauiter in eo labi, quod de omnibus rebus iudicare, omniaque scire velint; inde euenire, vt se saepissime turpiter dent, nihilque propius abesse, quam vt dictatores perpetui reipublicae literariae a suis suorumque similibus creentur. Praeterea multa ridicula de alio doctore audiui, qui mori malit, quam non ingeniosus videri. Neminem, dicebant, scire, qua ille in scientia domicilium ingenii sui constituerit; nam Theologum, Grammaticum, Historicum, ICtum esse velle, neque esse quicquam scientiarum, quod non delibauerit; ingenii gloriam illam mirifice deperire; hinc gibbosos homines pulcros, rixosas mulieres modestas, et timidos fortes dicere; si quis suae improbitatis defensorem habere cupiat, hunc adire solere; quare factum sit, vt numerus librorum, ab illo

ſcriptorum, iniri non poſſit. Haec mihi de Academia hac commemorarunt, quae vera, an falſa ſint, neſcio. Neque enim tam diu ibi commoratus ſum, vt ipſe ad animos moreſque hominum attendere potuerim, quoniam mirifica cupiditate alteram Vtopiae Academiam viſendi flagrabam. Ad hanc peropportuno tempore perueni. Ipſo enim eo die, quo acceſſi, res maxime memorabilis ibi accidit. Fuit ſapienti conſilio a Principe conſtitutum, vt, qui leges ſcite et docte interpretentur, et perfectam iuris ſcientiam teneant, ampliſſimis honoribus decorarentur, iiſque facultas, publice ius docendi, daretur. Qui honos ICto alicui eo die habebatur. Quod, quomodo actum ſit, breuiter commemorabo. Nam ob fauorem nobilium quorumdam ad omnia admiſſi ſumus. Conueniunt mane, quibus illud erat negotidatum, vt ingenium et eruditionem candidati

didati explorarent, in conclaue, atque ego vna, plenus timoris et ſpei. Neque enim exiguum horrorem mihi venerabilis iniicit ſpecies virorum tam ſeuero vultu, vt citius ex pumice aquam, quam ex his riſum, exprimas, longiſſimiſque capillamentis ornatorum. Menſa erat ibi oblonga, cyathis, calicibus et phialis plena. Videbar mihi in cauponam perueniſſe. Varia confabulantur, nugantur, et candidato nouum honorem antea gratulantur, quam de eruditione aliquid compertum habent. Tandem diſcumbitur. Longa mora interpoſita incipit, qui inter caeteros eminet, aliquid ex canditato quaerere. Arrigo aures. Hic obmuteſcere, ſubridere et interroganti poculum propinare; ille rurſus quaerere; hic magis mutus quam piſcis. Quid, quaeres, alii? quidam per feneſtram in plateam deſpicere, alii librum legere, plerique auide bibere. Ego multum ex-

 ſpectare,

ſpectare, quem res habitura ſit exitum. Repente conſurgunt omnes, ſe ſatis candidati ingenium tentaſſe profitentur, et, bene potati, lepidiſſime iocantur. Candidatus refertum numis marſupium producere, et in menſa numerare. Tum vero omnes ad menſam confluere, et qui antea dormire mihi videbantur, lynceis oculis argenti ſpecies internoſcere. Vnus perfamiliariter mihi in aurem: quid tibi, o charum caput, de numis hiſce videtur? Vidiſtine vnquam antiquiores? Pecunia accepta omnes egregiis laudibus candidatum extollere, illumque *digniſſimum* eſſe nouo honore per Themidem iurare. Verum erat alterum examen candidato ſubeundum. Eſt enim legibus ſancitum, vt honores hoſce petiturus libellum aliquem ſcribat, ſiue etiam ab alio ſcriptum accipiat, et palam contra diſſentientes defendat. Scripſerat hic etiam libellum, neſcio

cuius

cuius argumenti. Erat enim barbare et inficete ſcriptus. Hoc ſuo cum libello, charta inaurata ornato, aſcendit excelſiorem locum, et praeſentes inuitat, vt, ſi cui aliter de re propoſita videatur, ſuam ſententiam libere proferant. Illi deinde multis ambagibus reſpondere, laudare candidatum; hic laudes renuere; omnes his mutuis confabulationibus tot bonas horas perdere, vt paullulum temporis ſeuerae diſputationi relinqueretur. Ego qui non prope a loco, vbi conſiſtebat candidatus, aberam, illum videbam oratiunculas has non memoriter dicere, ſed e chartula recitare. Quare, quoniam ſaepe haeſitabat in dicendo, non ipſum illas compoſuiſſe, ſed ab aliquo accepiſſe, ſuſpicabar. Tandem accedit aliquis, omnium qui in ſe oculos et ora conuertit. Candidatum videbam modo erubeſcere, modo pallere, alios vero, neſcio quid, ſibi inſuſurrare.

Quid multa? Alloquitur candidatus illum, vt mos eſt, atque, vt reliquorum exemplum ſequatur, ſuamque de libello ſententiam dicat, petit. Ille, qui mihi vir liberi oris, multae eruditionis et acuti ingenii videbatur, grauiter et ſeuere ſuam ſententiam proponit, et variis interrogationibus bonum candidatum tantas in anguſtias adigit, vt multo ſudore perfunderetur, nihilque propius abeſſet, quam vt a praeſentibus exſibilaretur. Placuit mihi vehementer viri ingenium, qui ex animo et ſerio rem agebat, nec magis mirabar, quam indignabar, cum vnus ex iis, quos antea in conclaui, aut, ſi mauis, ſympoſio videram, illum tacere iuberet, ſuumque *Veto* interponeret. Ille tacet, hic multis ſolemnitatibus honores capeſſit, auditorium dimittitur, ilicet. Admirabar ego mecum ridiculos hominum mores. Neque latuit animus meus virum proxime

ad-

adſtantem, qui, ne mireris, ait, hoſpes. Ita eſt noſtrorum hominum ingenium. Hic non genus tantum et formam, ſed eruditionem quoque et ingenium regina pecunia donat. Totum ius ad vnguem calleas, fideli pectore omnium ICtorum ſententias condideris, quicquid eſt vbique librorum, deuoraueris, numi ſi deſint, numquam hunc tibi honorem habebunt. Sis ſtipes, caudex, aſinus, et aſinorum aſiniſſimus, modo non egenus, ſtatim ſumma dignitate dignus videberis. Eſt enim eo res adducta, vt, quem antea paucis habebant, hunc iam omnes accipiunt honorem

- - - omnes qui velle fatentur
Nullus, vt expertum eſt, inde repulſus abit,
Atque boni, atque mali, ſtupidi minimumque ſagaces,
Infima plebs, et flos nobilitatis item. *)

*) *Ianuar. reſp. ICt. pag.* 33.

Ecce tibi illum iuuenem, inberbem, et ab ipſa natura ad contemtum abiectum. Ille in ipſis literis, quibus, vt Iuris Doctor renunciaretur, petiit, ſe in iure quidem hoſpitem, in aliis vero literis probe verſatum eſſe, faſſus eſt, et poſteaquam iam Doctor renuntiatus fuit, tum demum prima initia iuris ab alio Doctore didicit. Tu vero impudentiam hominum mecum ride, et vale.

FRAGMENTA ZOPYRI.

Succenſeamne magis fortunae, quae tot ſaecula egregiis Zopyri ſententiis carere voluit, an gaudeam, quod mihi potiſſimum earum in lucem proferendarum copia facta eſt? Quo caſu, loco et tempore fragmenta haec reperta ſint, non opus eſt multis commemorare. Duo tamen monebo. Erant illa quidem graeca lingua conſcripta, ſed quoniam ego, (memor iuris iurandi, quo, cum ICtorum ordini adſcriberer, adſtrictus ſum) nihil ea maiori odio habeo, habeboque, dum viuam, atque etiam complures alios, et opibus, et honoribus, inſignes idem mecum ſentire ſcio laudoque, tradidi homini egeno et inepte diligenti

graeca

graeca in latinam ſermonem transferenda. Adiicere idem voluit *perpetuum*, vt dicebat, *commentarium*, *variarum lectionum libellum*, *et indicem rerum ac verborum copioſiſſimum.* Nolui autem alienis ornamentis Zopyri decus conciliare. Sunt huic libello ſequentes inſcriptae literae

Q. I. R. C. M. H. D. E. F. F. Q. I.

quae quid ſignificarent, nulla coniectura aſſequi potui. Homo vero meus criticus ſe in collectaneis ſuis inueniſſe teſtatus eſt, eſſe quoſdam, non exigua eruditionis laude florentes, eaſdem qui literas diſſertatiunculis et libellis ſuis inſcribant, quid vero indicent, vna ſe mecum ignorare. Nunc ad Zopyrum ipſum veniamus.

INCIPIT ZOPYRI LIBER.

Cap. I. „Si quem obuium habes, qui „totus oſſa atque pellis eſt, qui quaſi la- „terna Punica pellucet, et ſic macet, vt „exta in ſole inſpicere liceat; qui, multa „murmurans, caput ſcalpit, vngues rodit, „et in digitorum extremis tacite verba „enumerat; qui te vltro alloquitur, mo- „do os, tanquam aliquid dicturus aperit, „modo labra dentibus mordet, manum in „veſtem demittit, ſenſim chartam protrahit, „tum oculo intento, laeto huic hominum „generi proprio, ſed difficili dictu, et qui, „vt interroges, quid in illa ſcriptum ſit, „flagitare videtur, te aſpicit; tandem in „omnes partes ſe verſat, quaſi locutu- „rus, nec orationis principium inue- „niens, *tunc fugite, o miſeri! fugite.* „Si paullulum commoreris, vix viuus „diſcedes. Neſciſne poëtam hunc eſſe?

Eneca-

„Enecabit te verſibus ſuis. *Quare age,*
„*rumpe moras.*

Cap. II. „Hominem pallidum, dimiſſis „tibialibus, eorumque altero nigro, altero albo incedentem, oculis vibrantem, „caelum intenta acie intuentem, modo „huc, modo illuc, curſitantem, modo „ſubſiſtentem, modo ambulantem, te ſalutantem non reſalutantem, ſaepe equos, „boues et arbores, tanquam homines, ſalutantem, et, capite ad aedes offenſo, „quaſi ex alto ſomno excitatum, reſpirantem, hunc igitur mathematicum eſſe, et „de quadratura circuli, incolis lunae aut „fluxu et refluxu maris meditari, ſcito.

Cap. III. „Sunt, qui incedunt, tanquam „Cereris ſacra geſtantes, greſſu ſuperbo, „alta fronte et auratis veſtibus per plateas; „*albae rutilant in vertice criſtae:* magnifice ſe circumſpiciunt, alioſque tanquam „foenum generoſo cum riſu prae ſe con-

„tem-

„temnunt. Cum canibus ludere, equi„tare, gladium vibrare, ſaltare, venari, „et *tercentum donare deos* illis ſola ſapien„tia: caput ſi introſpicias, quiſquilias illis „nouerca natura dedit pro cerebro, nulla „*in toto corpore mica ſalis:* ſimiles illi tem„plis Aegyptiorum, quae magnificis co„lumnis, oſtiis, et arcubus exornata, in„tus canem, felem, vel ridiculum murem „ſeruant: libros magiſtrorumque ſcholas, „tamquam peſtes, fugiunt: quaeras ex „iis aliquid de artibus, quibus respublica „gubernetur, obmuteſcent: incipe de „chartulis luſoriis loqui, Homerum loqua„citate ſuperabunt: velis, nolis, quae ſua „ſit in hac re aſtutia, audies: generis et „ſtirpis mentionem iniicias, auos et atauos „enumerabunt: ne forte incredibilia tibi „narrare videantur, ſuperos et inferos ad „confirmandam fabulae veritatem inuoca„bunt. Mox digitis crepitabunt, vno pede

„ſalta-

„ ſaltabunt, et ore aliquid pipient. Iidem „ poſt aliquot annos, otio et deſidia tranſ- „ actas, ex poculo, quod ſapientes et do- „ ctos efficit, bibent. Quomodo enim alias „ eſſe poteſt? In conſilium de maximis rebus „ adhibentur, rem publicam gubernant, „ exercitus ducunt, de literis literarum- „ que flore iudicant, de maximi momenti „ rebus decernunt. Attende paullulum, „ quae cohortes clientium atria eorum ob- „ ſideant, quibus oſculis veſtem conterant, „ quam ſupplici geſtu et voce ſibi fauorem „ expetant; illi vero, quo ſupercilio, quo „ capitis motu, nullo ridente, de pace et „ bello diſputent, qui inter mulierculas „ educati nihil aliud ſapere, nihil „ aliud diſcere potuerunt, quam omnes „ alios, non albas criſtas geſtantes, con- „ temnere.

Cap. IV. „ Paedagogi et ludimagiſtri ha- „ bitus hic erit: veſtis nigra et ſordida,

„ capil-

„capillamentum horrendum, toruus vul„tus, inceſſus ruſticus, obeſum corpus, „tacitae in ore increpationes et dirae, mi„nax in dextra baculus, quem ſaepe tam„quam imperator, milites in ordinem re„dacturus, tollet, quo ſaepius vacuas au„ras verberabit. *Occurſare capro, cornu „ferit ille, caueto,*

Cap. V. „Typographus, ſi forte quem „quaerat, cui Ephemeridum, oratiuncu„larum Teutonicarum, odarum Anacreon„ticarum ſcribendarum cura committenda „ſit, attendat, num vaſtum ſit corpus, „gladiatorius inceſſus, firma latera, lacer„ti carnoſi, longi digiti, in quibus non „magis, quam in capite aut cerebro ſa„pientiam et ingenium ſedem fixiſſe, ab „idoneis auctoribus traditur.

Cap. VI. „Philoſophum facile agnoſces: „curuatum corpus, caput craſſum, digiti „graciles, facies fraudulenta: frontem

„ſaepe manu atteret, ſibi ignotos, aut
„alienos a ſe, vultu miſericordia pleno ad-
„ſpiciet, ad laudem ſuam ſubridebit, alia
„ſi in haereſi te eſſe dices, arriget aures,
„contrahet frontem et ringet: alius ſi
„philoſophi compendium laudabis, can-
„deſcent genae, erigentur crines, plenus
„vultus irarum et calidae rixae. Ipſum ſi
„poſthac te ſecuturum promittes, blande
„tibi manum premet: rediens domum Ve-
„neri litabit atque Baccho, et, quae in
„cathedrae vmbra mane turpia et noxia eſſe
„docuit, veſperi iucunda et pulcra exiſti-
„mabit.

Cap. VII. „Non aliter ICtos veros et
„magnificos, aut ſi mauis Realiſtas et ho-
„mines practicos, quam veſte nigra, lon-
„ga, et tanquam ex Priami aetate aſſer-
„uata indutos videbis. Capillamentum
„inſtar nubis ſupra tergum ſuffuſum eos os
„humeroſque deo ſimiles reddit: venter
„tam

„tam turgidus, vt ipſi vix calceos oblon-
„gos et latos adſpicere queant: vultus mo-
„roſus et rugis plenus, in digito annulus
„inſtar compedis, baculus et gladius atauo-
„rum aetatem referens; bini ſequentur et
„legent diuina veſtigia famuli, immenſam
„chartarum molem ſub brachio geſtantes,
„ingemiſcentes ſaepe et ſuccumbentes pro-
„pe oneri. Hos tanquam miracula miran-
„tur, hos nudato capite ſalutant, horum
„ob os ora obuertunt ſua.

Cap. VIII. Si doctorum qui eruditiſſi-
„mus ſit, qui fons et oceanus omnis do-
„ctrinae habeatur, cui maxima iuuentutis
„ſtudioſae pars operam det, intelligere
„cupis, *paucis aduerte, docebo.* Erecta
„fronte et calamiſtrata coma per plateas

 „voli-

„volitabit, vnguentis affluet, ſuauiſſimo „odore, quaſi totus roſeus myrtheusque „aëra implebit, pileolum geſtabit ſub bra- „chio, argenteo gladiolo cinctus habebit „veſtem ſericam, verſicolorem, breuiſſi- „mam, obuios curuato eleganter tergo, „pede dextro ad ſiniſtrum retracto, et pi- „leolo vſque ad pedes manu demiſſo ſalu- „tabit, offeret pyxidem, puluere ſternu- „tatorio plenum, tanta arte, vt inuitus „etiam annulos in digitis fulgentes videas, „ſingulis momentis horologium longis au- „reis fibulis ornatum e braccis extrahet, „quaedam de tranquillitate aëris et ſereni- „tate caeli mira linguae volubilitate dicet, „ludet ſubinde cum canicula, producet „acta publica, quid de eruptione hac mi-

„litum,

„litum, de illa obſidione vrbis ſentiat, „exponet, multa denique iactatione ma- „nuum in viros doctos declamabit. *Na- „te dea, quae te tam laeta tulerunt ſaecula?*

Haec ſunt, quae e Zopyri libris ad nos peruenire voluit fortuna. Vellem fati benignioris indulgentia reliqua boni philoſophi e tenebris, quibus ſepulta iacent, protrahantur, monumenta. Caeterum, etſi ſe bona fide egiſſe teſtatus eſt Grammaticus meus, vereor tamen, vt fragmentis his vertendis, ſic, vt virum bonum decet, verſatus ſit. Ex quo enim horum hominum furta deprehendi, eosque, qui libris in aliam linguam vertendis operam dant, non minus famelicos, quam lupos, eſſe intellexi, vix dici poteſt, quam ſuſpe-

ctum mihi ſit, quicquid agant. Quod ignorare vos, lectores, nolui, ne, quod aliena culpa factum ſit, meae ſiue malignitati, ſiue ignorantiae, tribuatis.

DIALO-

DIALOGVS

INTER

BVRMANNVM ET CHRISTIVM.

Exſtinctum eſt nuper morte praematura, et omnibus Muſis Gratiisque luctuoſiſſima, ingenium *Chriſtii*, viri ſummi, qui, etſi cum naturae, tum gloriae, ſatis diu, literis profecto, quarum egregius vindex ſtatorque fuit eximius, parum vixit. Lugent literae, quibus hoc caſu grauiſſimum et capitale vulnus inflictum eſt, ſuum primarium decus; ſepeliuere non ſine lacrumis virum publico elegantioris literaturae bono natum; amiſerunt quantum neſcio, an reparari poſſit? Viget tamen vigebitque *Chriſtii* memoria omnem cultiorem orbem peruagata, et donec ſuum bonis literis ſtatuetur pretium, omni poſteritati probitatis, honeſtatis, grauitatis, humanitatis et accuratae, promtae, vaſtae, et elegantis doctrinae erit exemplum. Viuet

in immortalibus ſuis ſcriptis, viuet *Chri-ſtius* in animis omnium bonorum. O quanto tui deſiderio, beatiſſima anima, aeſtuabunt muſae! quam ſaepe ego te requiram! te audire, tuo aſpectu recreari cupiam! nullibi autem, niſi nocturnis in ſomniis, inueniam.

Atque heri cum conuicia non verbis refutanda, ſed coërcenda verberibus, legiſſem, quibus vmbram *Chriſtii* canis furioſus allatrare voluit, et deinde me quieti dediſſem, viſus ſum mihi in Elyſiis campis verſari, ibique, vt in ſomno animus noſter facile in ea incidit, quae vigilantes cogitauimus, *Chriſtium* videre ambulantem. Grauis erat viri inceſſus, et in vultu maieſtas quaedam et mirificus decor. Curſitabant hac atque illuc animae, et nouum hoſpitem aſpiciebant. Aliae vultum illius erubeſcere, et ſibi inuicem in aures inſuſurrare: „diſcedendum hinc eſſe ocyus, hunc

„eſſe,

„ esse, cui multa surripuissent, se ne furti „ rei postulentur, timere. Aliae statim alloqui *Christium*, prensare manus, sua in literas merita enarrare, suum in homines doctos studium et amorem mire extollere, in contemtum literarum declamare: parum aberat, quin bonum *Christium* iterum enecassent, nisi alium vidissent, sibi ignotum, ad quem aduolabant, et mira linguae volubilitate eadem iisdem verbis effutiebant, vt orationem aliquam edidicisse viderentur. Hanc dum impudentiam et ineptum inclarescendi studium miror, aduenit, ecce! senex quidam. Imaginem mihi antiquitatis et columen literarum videbar intueri. Vt horribilis hic erat adspectu! vt teter incedebat! quae contractio frontis! quam morosa et pallida facies! Supercilio enim, tanquam Atlante caelum, tota res publica erudita niti videbatur. Dextra libellum proferebat diabola-

bolarem, ſiniſtra tenebat lutum, et omnes, quibus hic libellus minus probaretur, luto inungere minabatur. Quem *Chriſtius*

Vt primum iuxta ſtetit, agnouitque per vmbram

ſtatim videt eſſe illum, quem olim aduerſarium parum humanum et doctum nactus eſſet. Quare, homo vt ſiſtat gradum, inimicitiaſque deponat, poſcit, atque mollibus ardentem et torua tuentem lenit dictis. At ille non magis, quam dura ſilex aut marpeſia cautes ſermone mouetur, ſed labia diſtorquens, et quaedam ſecum murmurans aufugit. Quem cum ſequeretur *Chriſtius* et longius procederet, obuium ſibi videt virum ſerenae frontis, et cuius ex oculis generoſa animi indoles elucet. Statim *Petrum Burmannum* eſſe intelligit. Multa vltro citroque dicuntur, diſputatur de variis, tandem ſic incipit:

Burm.

Burm. Iam dudum geſtit animus, quae ſit literarum facies in Germania, quae ſtudia doctorum hominum, Criticorum maxime, cognoſcere. De his, niſi graue, velim mihi exponas.

Chriſt. Vereor, hercle! ne, ex qua tu narratione iucunditatem capere ſperas, ex ea plurimum doloris et moleſtiae in te redundet.

Burm. Scio, quid dicas. Mihi non ſemel bilem audacia criticorum mouit. Putabam vero eam bonorum virorum virtute tandem compreſſam eſſe.

Chriſt. Compreſſam putas? aucta vero illa eſt, et in dies augebitur. Quid enim quaeris? nullus eſt, cum graecorum, tum latinorum ſcriptorum, quem non ſordibus ſuis conſpurcent noſtri capitales Critici, qui illud veteris lenae metetrici datum conſilium; *ſpolies, mutiles, laceres, quemquem nactus ſis*, ſumma cum religione obſer-

obseruant. *Foedissima illis ventris proluuies vncaeque manus.*

Tristius haud illis monstrum, nec saeuior vlla

Pestis et ira deum stygiis sese extulit vndis.

Si quem audiant, nouam alicuius auctoris editionem moliri, statim coniecturas suas ad eum mittunt: neque paucas illas esse fortasse credito, sed tota volumina. Has coniecturas, quibus se praeclare veram lectionem restituisse gloriantur, ipsam εὐστοχίαν sibi in aurem insusurrasse somniant, et tam bonas, bellas, venustas et certas esse censent, vt ne ipsa quidem dubitatio de illis dubitare debeat. Quare, tamquam de tripode locuti, nullas caussas suae crudelitatis exponunt, sed satis habent, regium illud, *lege, scribe, sic muta, ex ingenio sic emendo*, addidisse

celerique fuga sub sidera lapsi,

Semesam praedam et vestigia foeda relinquunt.

Burm.

Burm. Tantum vero mea aetate numquam ſibi indulſerunt Critici. Addebant certe belliſſima haec: *hoc non latinum, quis hoc Ciceronis ingenio dignum exiſtimet? ſic elegantius*, et ſimilia: quae licet inepta et febriculoſi hominis indicia, toleranda tamen; at tu intolerabilia commemoras, et nullo modo ferenda.

Chriſtius. Hoc ſolo ſi acquieſcerent, beati eſſemus, gratulandum reipublicae et literis. Sed audi, quaeſo. Tota eduntur volumina, coniecturarum acutiſſimarum, ſi diis placet, quibus humanum genus lepidi Criticaſtri beant. Cauſſas, cur vulgatam lectionem reiiciant, fruſtra quaeres. Exiguo temporis ſpatio interiecto, quae *ſuo periculo* paullo ante mutari iuſſerant, aliter rurſus emendant. Atque haec quidem inſania eo proceſſit, vt, cum nullus ſit bibliopola, talibus qui libris imprimendis vendendiſque rei familiaris periculum ſubire

ſubire velit, ipſi ſumtum ſuppedident, et deinde prope fame pereant.

Burm. Qui vero ſunt tandem illi, quibus tam putidum cerebrum, tam perpruriſcentes digiti?

Chriſt. ἄθροος ὄχλος, ὠθεῦνθ᾽ ὥς᾽ ὕες. Neque tam iuuenes hoc ſe parricidio polluunt, ſed ſenes imprimis repueraſcunt quam plurimi. Accepi ab homine, cuius fides mihi nullam ob cauſſam ſuſpecta eſt, ſe ſuis oculis vidiſſe, anteſignanum et coryphaeum horum Criticorum, poëtam graecum, quem numquam antea legiſſet, in tertio verſu ex ingenio emendaſſe, et vna horula quinquaginta emendationes facili negotio protuliſſe. Eumdem, addebat, hanc ſibi quaſi legem fixiſſe, vt nullum auctorem prius de manibus deponeret, quam illum hoc beneficio affeciſſet, omnesque auctores ſe eadem ratione eſſe tractaturum, promiſiſſe.

Burm.

Burm. Vehementer equidem vereor, ne noui Critici hoc plane efficiant, vt nulla veterum ſcriptorum veſtigia agnoſci poſſint.

Chriſt. Habebit profecto erudita reſpublica citius opinione omnes veterum libros nouas in formas, id eſt, ex hominibus in porcos, mutatos. Atque ego ſaepius optaui, ne Plutarchi poſthac, Chryſoſtomi, Polybii, Ariſtidis nomina ſuis ſcriptis praefigerentur, ſed illorum, ſtulta qui haec ſomnia nobis obtrudent. Quid enim bonis ſcriptoribus relictum eſt? quis eos arbitrio ſuo loqui patitur? quis non melius illis graece et latine intelligit?

Burm. Hoſce tamen lucumones, hoſce petrones et rupices Criticos appellant, et

correctores veterum librorum? hanc proletariam turbam hoc nomine ornant? Corruptores et pestes literarum illos rectius dicerent, qui omnem, quam antiquitati debent, religionem susque deque habentes tanta audacia et proteruia in bonos scriptores saeuiunt. Nullusne vero impetus horum homuncionum compescere, nullusue hanc pestem a literis auertere conatur?

Christ. Sunt quidem docti et egregie cordati homines, sed perpauci. Alii clanculum hanc insaniam ridere, quam sibi inimicitias et odia contrahere, malunt. Alii, quod in illis reprehendunt, ipsi vitium committunt. Perstrinxerunt quidam

dam grauissimis verbis hanc temeritatem, quos quid effecisse putas? pergunt inepti homines, quam semel iniuerunt, viam calcare, quare quiescere malunt boni viri, illos miseros esse libenter iubent, et genio suo irato relinquunt. Res enim profecto iam eo perducta est, vt alio auxilio, aliis defensoribus opus sit. Nam vt, si ciuis alteram iniuria affecit, magistratus auxilium imploratur, atque tali modo a proteruitate multi retinentur; sic vt Portiae, Fabiae, Semproniae leges in erudita republica ferantur, maximopere optandum est. Equidem me nihil melius scire, ingenue fateor. Neque enim Aesculapius tribus Anticyris haec capita sanare posset.

Burm. Qua igitur fronte plerique florere nunc literas, aureum esse saeculum, suum literis statui pretium, suum decus, clamitant.

Christ. Hunc vero clamorem non semel mecum risi. Primum enim, quis potest esse literarum cultus, quod decus scientiarum, si tam inhumano, tam barbaro more in veteres scriptores grassamur? a nullis libris si rapaces et crudeles vngues continemus? quemuis si impune atque etiam cum gloriola commaculare? si vrere, secare, mutare, expungere licet? Deinde vix dici potest, quam ridiculas opiniones imbiberint homines de veterum auctorum doctrina. Tonant quotidie, cum philo-

sophi,

ſophi, tum theologi, fulminant, èt veterum libros opprimere minantur.

Burm. Non inaudita et noua narras. Hoc hominum genus omni elegantiori literaturae dudum bellum indixit, atque vt eo cum maiore mercede fallat, religionis ſpeciem praetendit.

Chriſt. „Pudeat, inquiunt, nos Chriſti-
„anos hominum flagitioſiſſimorum libros
„legere. Pudeat ab iis aliquid diſcere
„velle, qui in omne voluptatum genus
„effuſi tot tantiſque ſe ſceleribus comma-
„culauerunt, vt grauiſſimis a ſanctis viris
„verbis caſtigarentur!"

Burm. Hiſce vero ſermonibus magnam inſcitiam acuti viri mihi prodere viden-

 tur.

tur. Nam ſi, quae de paucis, certe non omnibus, dicantur, ad vniuerſum referri populum debeant, nonne facile totum hoc telum retorqueri poteſt ab hominibus improbis? quoties enim Iudaei ab iisdem viris ſanctis accerrime caſtigantur? quid igitur, ſi illorum in ratiocinando morem imitetur quiſpiam, efficietur? ſed haec intelligentia non cadit in pallium et capillamentum concionatorum, quos pudet eorum vtilitatem fateri, quae ignorant. Quid vero? elegantium ICtorum magnam multitudinem eſſe accepi.

Chriſt. Non erras. Elegantia enim novas nuptas et omnes virgines facile ſuperabunt. Accedas illas: contemplantes inuenies in ſpeculo formam ſuam, vehementer-

menterque curantes, ne pilus vnus in coma ceteris altior exſtet, ne minima in tibialibus ſericis ruga fiat, ne pallidae genae, ne nimium rubicundae. Magnam iidem elegantiae partem in libris eleganter ligandis collocant, nec vltimam curam ICti in eo eſſe ponendam cenſent, vt Wielingium aurea veſte ornatum habeant. Inde accidit, vt, ne forte ſplendor et aurum detergatur metuentes, raro ſuos libros attingant et euoluant. Hoſce ſi ICtos elegantes appellas, nae magnam inuenies turbam. At qui Ciceronem, qui Liuium, Dionem, reliquos veteres ſcriptores legerint,

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

 Plurimi

Plurimi, *prolatis ſilueſcentibus in ore conſiliis*, vt ait magnus Cuiacius, *opinionibus, deciſionibus doctorum innumeris, qui clamoſi rabioſa fori iurgia vendunt improbi, et iras et verba locant*, hi igitur ſe omnem elegantiorem literaturam tanquam nugas, neque panem, neque cereuiſiam, ſibi comparantes, tanquam quiſquilias, ſcholam redolentes, contemnere, omni poſita fronte, profitentur, ſatiſque habent, ſi *volumen Actorum* (hoc enim iis ſemper in ore) apte conglutinare, eleganter ſub brachio geſtare, et barbaras aliquot voces, *terminos* vocant, celeriter blaterare poſſint, ſi prodiga infrenisque ſit lingua, vt fluat ſemper et aeſtuet colluuione verborum teterrima, ſi facundiam rabidam iurgioſamque

que exercere et tam celeriter ſcribere diſcant, vt *litera verbum ſit*

Vt notis linguam ſuperent, curſumque
[illegible] *loquentis.*

Scin' vero, quomodo ſuam ignorantiam defendant? arrige aures, admodum belle ratiocinantur. „Quicunque, aiunt, le„ges corrigit, ille eſt peſtis reipublicae, „atqui Critici corrigunt leges, nonne er„go peſtes reipublicae?

Burm. Baldi et Bartoli familiam narras.

Chriſt. Alii nihil, niſi Cuiacios, Alciatos, Duarenos, reliquos, quorum nominibus adſurgas, crepant. Neque tamen illos legerunt vmquam, neque, ſi lege-

rent, intelligerent. Hi ſola nomina doctorum ſoloſque indices librorum noſſe docti putant, de reliquis non curant.

Burm. Atque hi, vt ſunt ingenia hominum, maximis honoribus florebunt: horum erit ſumma auctoritas et celeberrimum nomen.

Chriſt. Quidam, ſed pauci, regia illa et recta via ad veram eruditionis gloriam contendunt, ſed prope ſoli in auditoriis relinquuntur.

Burm. O miſeram literarum faciem!

Chriſt. Tum vero demum, miſeram eſſe literarum faciem, diceres, ſi, quomodo in veterum auctorum libris edendis noſtri homines verſarentur noſſes. De quocumque

que auctore in somnio cogitauerunt, illius edendi consilium capiunt. Nullos libros manu exaratos in consilium adhibent, sed iuuenibus ex antiquis Aldi, Stephani, reliquorum editionibus varias lectiones, aut, si mauis, errores operarum, excerpendas committunt. Addunt commentarium docti alicuius viri; si quis ludimagister dissertatiunculam scripsit, illam inserunt, et portentosam praefigunt praefationem. Hic, quae in Fabricio aut Mattairo de editionibus auctoris inuenerunt, paullisper verbis mutatis, vt signa rerum ablatarum a furibus detrahi solent, repetunt. De suo ingenio neque addunt quicquam, neque additas aliorum adnotationes, non immunes saepe ab erroribus, emendant. Mercedem

dem a bibliopola non exiguam accipiunt, et ſua cura et ſtudio ſingulis, non annis, ſed menſibus, talem editionem in publicum emittunt.

Burm. Non differt multum haec edendorum auctorum ratio a Schreueliana et Pitiſciana.

Chriſt. Atque hi tamen editores inuidendis laudibus in caelum extolluntur, eorumque libri exempla edendorum veterum librorum audiunt. Tum vero vellem ridiculas hominum pugnas videres. Illi noſtrorum concionatorum, qui docti videri cupiunt, neque tamen viam oſtentandae eruditionis, quam nullam habent, tenent, errores operarum in his editionibus multo ſudore inueſtigant, in circulis

graui vultu et loquaci dextra recitant, et inuidiam facere editoribus conantur. Hi, vt genus horum hominum irritabile eſt, hanc libertatem non tolerandam eſſe, clamitant, et ſi conuitiis aduerſarium proſcindant, bene ſe rem gerere credunt.

Burm. En cor Zenodoti, en iecur Cratetis!

Haec taliaque cum loquerentur viri docti, aduenit Criticus quidam eorum ex familia, in quam modo *Chriſtius* declamauerat, et, vt flumen traiiceretur, a Charonte poſtulat. Qui cum hominem toruo vultu aliquandiu adſpexiſſet, nonne, per deos immortales! inquit, te idem ille, qui mihi olim nomen meum voluiſti eripere, aliterque legendum in omnibus

libris contendisti? Faciam, vt iam tuae te temeritatis poeniteat. Quibus dictis statim contum attollit, et miseri homuncionis lumbos adeo dolauit, vt ego hoc tumultu subito expergiscerer.

PRODIGIA.

Oceani finem iuxta ſolemque cadentem

Vltimus Aethiopum locus eſt

unde nuper binas literas accepi, quas non poſſum non, quin cum lectoribus meis communicem. Nam non ſolum varia ſcitu digna et iucunda lectu in illis ſcripta ſunt, ſed lubet etiam in hac re noſtrae aetatis noſtrorum hominum conſuetudinem imitari. Qui ſi in Anglia, Italia, Gallia docto viro, cui ea de cauſſa aliquot annos obſtrepuerunt, vnum epiſtolium extorſerunt, caelum ſe putant digito attingere.

O quid tum in omnium manibus? quid in ore, nisi hae literae? accedas illos. velis nolis, praelegent tibi canora voce et hilari ore. Quod si semel fiat, beatus eris; iterum iterumque bellas literas audies. Atque vt posteri quoque et omnes, qui vbique sunt, idem sciant, typis illas proxima occasione exscribendas dabunt. Quid? quod non pauci literas, quasi ab exteris regionibus ad se perlatas, fingunt, in his honorificentissime de se praedicant, et inuidendis se laudibus extollunt. Sed hoc crimen fortasse a maleuolis et inuidis, quorum omnia sunt plena, effictum est. *Sed quid ago?* (vtar enim diuina arte oratorum nostrorum, qui, si natalem, nuptias, nouos honores, aliis gratulaturi, antea de

lato clauo, de haruſpicibus, de cloacis romanorum, de mundo optimo dixerunt, belliſſimo hoc, *quid ego? nunc ſe ad te mea conuertit oratio*, tanquam Deo ex machina aduocato, facillime ſe expediant) *quid igitur ego?* literas propinare volui. En ipſas.

Quod dudum optaui, ſuauiſſime, vt et beneuolentiam meam et ſtudium tibi inſeruiendi teſtificari poſſem, illius efficiendi optabilem occaſionem, quae in hac terra quotidie accidunt, attulerunt. Nam, quoniam tu mihi illud negotii dediſti, vt ſi quid eſſet memoratu dignum, ad te perſcriberem, tanta et tot ſcito, apud nos eſſe prodigia, neque viſa, neque audita prius,

vt quaſi in nouum orbem terrarum delati nobis eſſe videamur. Omitto, (nam et mens meminiſſe horret, et te eiusmodi rebus numquam fidem habere, compertum habeo, cuius incredulitatis ne te poeniteat olim, vereor,) omitto igitur globum igneum e caelo delapſum, horridas voces exauditas, et in nubibus leones, equos, vrſos, viſos eſſe. Quae quin ita ſint, non eſt dubitandi locus. Videre illa omnia homines, auribus et oculis ſani, concionatores noſtri, cum rure opus facerent, et ſaepius inde occaſionem nos monendi, adhortandique laeti arripuere. Heri quidem vnus eorum tam flexanima oratione impendentia mala enarrauit, tam lugubri voce, tam diſerte, eadem prodigia olim

irru-

irruptionem hoſtium, famem et frigus praedixiſſe demonſtrauit, vt per ſubſellia fletus et ſuſpiria, vetularum maxime, orirentur, ego vero, ne crebris ictibus perculſus ſuggeſtus in caput decideret, non parum timerem. Neque tamen, vt dixi, plura de his addam. Audi alia, maiora, incredibilia, quae neque antea ſomniaſſet quiſquam, neque ventura aetas credet, Iracundi antea, clamoſi, dira illuuie promiſſaque barba horribiles, nec faciles viſu, nec dictu vllo affabiles, ſemper baculo et virgis, ſemper conſularibus faſcibus armati deſierunt per tergum vicinaſque tergo partes viam et aditum ad animum puerorum quaerere, paedagogi. Quam placidi nunc! quam humani! quam elegantes!

nulla verbera, nullae dirae, nulli metus. Noſti mores philoſophorum noſtrorum. Nunc vide quam mutata ſint omnia. Nemo philoſophiam tamquam artificium venale addiſcit, nec, magiſter antea, quam diſcipulus, aliter viuit, quam viuendum eſſe praecipit, aut inutilis diſciplinae exemplum in ſe circumfert. Nullas contortulas et minutas concluſiunculas, nullas difficiles nugas, nullas de ente, de monadibus, de principio indiſcernibilium diſputatiunculas in ſcholis eorum audies. Alii in foro, in caſtris, in republica, in aulis principum verſantur, alii iuuenum animos ad virtutis honeſtatisque praecepta, ad rei publicae adminiſtrationem, ad praeclaras in bello et pace res gerendas, con-

for-

formant. Omnes vno ore antiquitatem laudant, veterumque librorum lectionem commendant. Nulla ſuperbia, nullae rixae, nulla conuitia. Fraterno amore ſe inuicem complectuntur, raro a ſe diſſentiunt, ſi diſſentiunt cauſſas diſſenſus exponunt, nec eos, quibus alia mens eſt, atheos, nec corruptores iuuentutis, nec flagitioſos eſſe pronuntiant. Saepe, quae antea docuerunt, re melius intellecta, vltro damnant, erroremque ingenue fatentur: *olim*, aiunt, *deceptus ſum, aliquid humani ſum paſſus, me erraſſe ſcitote.* Nulla denique in libris orationis obſcuritas, nulla verborum inſolentia. Quantus contra nitor! qui flores! quae veneres! quam lactea vbertas! Ciceronis animum in omnes

immigraſſe crederes. Medici totam ſuam artem coniecturis niti fatentur; nemo periculis hominum diſcit, aut experimenta per mortes agit. Neque vitra vrinaria inſpiciunt, et inde, quam aetatem habeat aegrotus? mas ſit an femina? iuuenis an maritus? vitamne ſit recepturus an amiſſurus? qua ſit veſte indutus? bellamne habeat vxorem? et ſexcenta alia vaticinantur, neque in tam contrarias ſententias abeunt, vt, quod alter tanquam vnicum ſanitatis tuendae praeſidium commendet, alter, quaſi venena Colchica, reiiciat, neque ſanos et integros medicamentis ſuis, quae *praeſeruatiua* audiunt, occidunt. Timeo, hercle! ne tu me rem augere, aut, tonſorum more, mentiri ſuſpiceris.

Bona

Bona vero fide ago. Nam haec lusum iocumque esse dices, caetera demum si audias. Nullum doctum hominem liberalium artium consectatio molestum, verbosum, importunum, sibi placentem, facit: non numerant, sed aestimant, quae et ipsi scribunt, et ab aliis scripta sunt: non aucupantur humili arte multitudinis plausum, sed vel in sua conscientia, vel in paucorum bonorum laude acquiescunt, non ideo literis operam dant, vt vel opes, vel honores, sibi acquirant, sed vt bene de humano genere mereantur: non bibliopolis seruiant, nec ad illorum arbitrium libros componunt: non portentosos et splendidos titulos libris praefigunt, non sentiendi

libertatem tollunt, breui, ſic viuunt, vt, ſi vel in aurum priſcum tempora redeant, nihil maius meliuſue eſſe poſſit. Quid dicamus de theologis? incredibile dictu eſt, quam auide graeca et latina diſcant, quantum ſtudii in hiſtoria collocent, quam humani ſint erga aduerſarios, quam abſtineant a publicarum rerum adminiſtratione, quantum cum criticis et grammaticis amicitiam contraxerint, in quos probitatem et pietatem cadere, antea negabant, in quos declamabant e ſuggeſtibus, quorum doctrinam, tamquam peſtiferam, ſumma ope deprimere conabantur. Ponebant enim tum omnem ſcientiam in clamore, volubilitate linguae: bonum theologum puta-

putabant, qui tres annos in academia commoratus, (vbi, ſupra compendiolum ſapere, nefas erat,) deinde munus concionatorium accipiat, vxorem ducat, liberos bene multos procreet, cereuiſiam coquat, in agris opus faciat, vt et animarum et ouium vaccarumque paſtor ſit: illum vero omnibus numeris abſolutum et columen religionis exiſtimabant, qui aliquot orationes, compilatas plerumque et exſcriptas, edidiſſet. Dudum intelligo, te, quid ICti agant, ſcire, percupere.

Huc geminas nunc flecte acies, hunc aſpice gentem

plane

plane nouam et quasi a Medea recoctam. Quot antea per decem vrbes, quarum singula viginti alit ICtos, caperata fronte, graui vultu, magna populi comitante caterua incedentes, omnes magnificos, omnes doctores, frustra quaesiueris, Corpus iuris, nunc in singulis aedibus inuenies. Protrahunt ex tenebris veterum ICtorum egregia ingenii monimenta, et manu diurna nocturnaque versant. Hos ad fontes, tanquam diuturnam sitim expleturi, festinant. Tam graecas, quam latinas antiquitates, ad vnguem callent, rem numariam, diplomaticam, et alia, de quibus altum antea silentium, probe tenent, puro, dilucido et eleganti scriben-

di genere vtuntur. Sunt, fateor, aliquot, veteres mores qui retineant. Sed caput eorum nuper ſubita morte exſtinctum eſt, idemque vt reliqui fatum ſubeant, vna omnes voce precantur. Nihil enim, niſi cum moriantur, recte facere illos dicunt. Vides, quanta ſit omnium rerum mutatio et confuſio.


Nulla tenet veteris quicquam veſtigia formas.

Atque ego aut vehementer fallor, aut terrae noſtrae niſi ſummum diem et vltimum terminum, horribile certe aliquid impendere arbitror. Accedunt vaticinia quaedam, tabulis aeneis inciſa, et caſu per

hoſce

hoſce dies in agro ſuburbano inuenta, quae, ne et longior ſit haec epiſtola, et mihi ipſe occaſionem ſaepius tecum confabulandi praecidam, in aliud tempus reſeruaui.

Vale.



DE VERA INCLARESCENDI VIA EPISTOLA.

Ego vero numquam committam, vt, quam de meo in te amore et beneuolentia concepisti, et qua ego, ita me dii ament, sic delector, vt nulla alia re magis, te spes decipiat. Quare neque precibus tuis honestissimis deesse debui, neque te quicquam eorum, quae adhuc semper duxi tacenda, celare potui. Petiisti vero in literis tuis a me, vt tibi regiam illam viam, gloriam atque honores facillimo negotio consequendi, ostenderem, et in ignoto itinere dux essem. Iam illud certissime tibi velim persuadeas, me, quaecumque moneam, propria edoctum experientia monere. Ipse eam, quam tibi monstra-

bo, viam iniui, ipse hac via amplissimos honores accepi. Tu igitur

qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.

Primum, velim, indices nouorum librorum, ephemerides, diaria, noua literaria, et eiusmodi libros, in quibus de laboribus doctorum iudicium fertur, numquam de manibus deponas. Hi tibi sint illi fontes, ex quibus omnem eruditionem haurias. Praecipue vero moneo, vt annum locumque, quo liber editus sit, et quid in illo reprehendatur, tanquam claui trabali memoriae ita insigas, numquam vt inde effluat. Hac igitur cognitione si te probe instructum esse senties, non solum in circulis aequalium, sed apud viros do-

ctos

ctos quoque, quaecumque tibi videntur vtilissima, ex illo penu depromes. Edisces etiam loca aliquot pulcra, ex graecis poetis, et simul emendationes aut coniecturas criticorum memoriae mandabis. Haec recita data occasione, graui vultu, et magna celeritate, haec iterum iterumque repete. Si quem audies librum scribere, quanto ocyus aduola, et te indicem esse additurum promitte. Hic est primus gradus, quo ad maiores honores adscendes. Ille enim in fine praefationis honorificam tui mentionem faciet, teque reipublicae eruditae optime commendabit. Quam iucundum vero sit, ista legere, *indicem fecit iuuenis humanissimus, optimis artibus excultus, et magno olim ornamento*

literis futurus, vix credere potes, nullo cum praeſertim, certe exiguo labore, eiusmodi praeconia comparentur. Deinde velim ipſe aliquid ſcribas, et, vt per ora virorum volites, efficere ſtudeas. Quod ſi ex antiquitatibus romanis aliquod argumentum elegeris, tibi optime procedet. Sunt enim de his multa volumina ſcripta, ex quibus facili negotio libellum conſcribes. Prae omnibus aliis autem Pitiſci velim lexica, quae tibi etiam atque etiam commendo, in conſilium adhibeas. Hinc nos toti pendemus, hinc omnium ſcholarum rectores ſapiunt, hinc tu, quantum libet, ſumas. Hic vero illud in primis operam des, ne quem locum, quem ille ex veteribus libris laudauit, omittas.

Quo plura tu loca adſcripſeris, eo doctior videbitur liber, eo maiorem tibi famam comparabit. Neque opus eſt, vt ipſe veterum loca euoluas. Laborioſum hoc eſt, patientiſſimi diligentiam fatigat, et fruſtra etiam hanc laborem ſuſcipies. Nemo, recteне laudata ſint illa loca, an perperam, modo ſint multa, inquiret. Si quem locum laudas, adſcribe interdum diuerſam lectionem, veluti - *aut vt ex MSCtis legit doctiſſimus* - . Si literas haſce *MSC.* videant homines, quantum tuae eruditionis famae accedat incredibile eſt. Charta ſit nitidiſſima et exornata tabulis aeneis, lepidum aliquid et facetum exhibentibus, veluti muſas, hunc vel illum doctum exſibilantes. In praefatione te multis nego-

tiis distractum horis subcessiuis haec scripsisse fateberis, atque etiam librum ab amicis subreptum, aut precibus et blanda vi extortum, te inuito edi finges. De hoc porro libro vt bene in ephemeridibus iudicetur variis artibus, de quibus alio tempore exposui, efficies. Denique eumdem eleganter vestitum fac quam primum ad omnes, qui vbique sunt, eruditos mittas. Pro quo si tibi per literas illi gratias agant, quid tum aliud facies, quam vt eas omnibus in circulis recites, atque etiam, si apte fieri potest, typis exscribendas tradas? Sin ad primas tuas forte non respondeant,

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Iterum, tanquam illae priores forte non perlatae essent, scribe tertium. Non fru-

stra

ſtra hunc laborem conſumes. Hic eſt ille, inſuſurrabunt ſibi inuicem homines, quem Bataui ſuſpiciunt: vix credas, quam crebras ex Italia literas accipiat, quam multi eius familiaritatem expetant: tunc de illius eruditione dubitas? ah! neſcis, qua fama apud exteros floreat! Scribes vero potiſſimum ad illos, quorum eſt in collegio aliquo eruditorum, ſocietates dicunt literarias, aliqua auctoritas. In quae vt eo facilius coopteris, eleganti modo aureolum munuſculum tuis literis adiunges. Famelica eſt horum hominum natio. Lubenter te ſuo ordini adſcribent. Tum vero, caue, in titulo libri illud: *membrum ſocietatis* - omittas. Alia via inclareſcendi, ſed paullo difficilior, haec eſt. Si quem in exteris regionibus, eum-

que

que mortuum, magna fama vigere audias, aduerſus hunc calamum ſtringe. Admirabuntur homines tuam ſapientiam, et te, tanquam de caelo delapſum, ſuſpicient.

Heu! quibus ille
Iactatus fatis, quae bella exhauſta canebat!

Ipſa in re ſi nihil reprehendendum ſit, ipſum auctorem perſequaris, et quaecumque Latium ſuggeret, effundas conuitia. Huius certaminis quacumque occaſione mentionem facias, nec ſemel deſcendas in arenam, ſed, vt plurimarum palmarum nobilis gladiator habearis, cures. Verum haec hactenus. Plura in craſtinum!

Vale.

25-20

